



**Liber Officialis Seu Agendorum Pastoralium S. Trevirensis
Ecclesiæ**

Johann Hugo <Trier, Erzbischof>

Mogvntiæ, 1688

Ordo processionis solennioris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75322](#)

& in festo Corporis Christi, vel aliis diebus pro consuetudine Ecclesiarum.

Quædam verò sunt extraordinariæ, ut, quæ variis ac publicis Ecclesiæ de causis indicuntur. Ad Ordinarium loci spectat decernere atque edicere, quò & quâ viâ processiones dirigi, quasque ad Ecclesiæ nominatum produci debeant, ut statuit Sac. Congregatio Cardinal. ad Concil. Trident. * in decis. incip. Ad Episcopum in vers. in * cap. 13.
 process. publicis. Laicis est etiam interdictum de jure civili * facere ^{sej. 25. de reg.}
 processiones sine consensu Episcoporum; Ex quibus facile quisque ^{* Authent.}
 animadvertiset, qua de causa aliquæ processiones, aut etiam quædam ^{de S.S. Epi- scop. §. o-}
 à laicis sine præhabito ordinarii consensu, in processionibus introdu- ^{mibus au- tem laicis.}
 cta fuerint per Visitatores nostros abrogata. ^{colum. 9.}

ORDO PROCESSIONIS SOLENNIORIS.

Primum locum occupant catecheticae lectiones puerorum (qui vel nullam, vel talem frequentant scholam, quæ ad Ecclesiam certam non spectat, nec Clericis alicujus Ecclesiæ conjungitur) ac puerarum, si quæ sint, vexillis propriis distinctæ, ac suavibus melodiis Deum laudantes.

Deinde præcedunt Confraternitates laicorum, ante quamlibet sodalitatem, si plures sint, crux deferri debet, cum proprio vexillo propè summitatem hastæ appenso, ipsâ cruce quæ mediocris formæ esse ^{Rit. Rom. tit. de pro- cess.} debet superposita: velum illud sit cum imagine sancti sub quo sodalitas militat.

Tum sequuntur secundum ordinem dignitatis vel antiquitatis re- ^{Gavant.}ligiosi, quilibet post suam crucem cum velo, in quo sanctus titularis, deferri que debet cum velo pendente ex decreto Sac. Congregati- ^{* 14. Ian.} rituum * ad indicandam subjectionem & inferioritatem respectu ^{1617.} Cleri sæcularis: eadem ratione quâ baculo Abbatiali appenditur ve- ^{Cerem. Episcop. lib. 2. c. 33.} lumen vel sudarium nodo ejusdem, ad differentiam baculi Episcopa- lis. Postmodum curiales & officiales portantes intortitia, inter quos ^{Cerem. Episcop. cit. loc.} nobiliores.

Deinde Clerus sæcularis / ita ut, si Clerus Cathedralis adsit, primò ^{ut præcedant} loco minister portans crucem Ecclesiæ cathedralis, inter duos cero- ferarios gestantes cercos accensos progrediatur) quam crucem se- ^{Cerem. Episcop. cit. loc.} quuntur Clerici seminarii si adfint: & post eos curati Ecclesiarum ^{Cerem. Episc. ibid.} tum

~~tum Ecclesiæ Collegiatæ, singuli deferentes suam crucem cum ha-
sta, iunctis eidem eruci scholaribus ac choralibus, ut pote ad morales
jusdem Ecclesiæ corpus pertinentibus commembriſ. si Scholas pro-
prias ac chorales habent: Ultimò incedit Ecclesiæ Cathedralis aut
Metropolitanæ Clerus: in quorum fine dignitates cum pluvia-
libus.~~

Cerem.
Episcop.

Post Clerum sequuntur alii quidam cum facibus, superpelliceis in-
duti, dein duo thuriferarii cum duobus thuribulis & naviculis thure
repletis, continuò per viam processionis sanctissimum Sacramentum
incensantes.

Cerem.
Episcop.
lib. 2. c. 33.

Post hos umbella sequitur sub qua sacerdos portans monstran-
tiam cum sanctissimo Sacramento, capite detecto incedit medius in-
ter Diaconum & Subdiaconum, aut duos viros primarios, fimbrias
anteriores pluvialis elevantes. Ab utraque umbellæ parte aliqui
Clerici superpelliceis induti, aut aliqui viri honesti decenter vestiti
cum facibus accensis.

Post umbellam cæremoniarius cum socio, vel unus aut duo Cle-
rici superpelliceis induti pro Sacerdotis circumgestantis sanctissi-
mum Sacramentum, & processionis occurrente necessitate.

Tandem Magistratus & alii cives plebeji bini & bini, inter quos
primum locum obtinent Principes & gubernatores, omnes dete-
ctis capitibus, devote orantes: si gestent cereos, non extinguntur
nisi datâ cum venerabili Sacramento, benedictione.

In omnibus processionibus venerabilis Sacramenti, dum Sacer-
dos portans SS. Sacramentum discedit ab altari, Clerus incipit hym-
num: *Pange lingua &c.* & per totam viam omnes debent el-
se aperto capite.

Ad processionem solennem benè instituendam necessarium quo-
que videtur, ut Magistratus loci in quo processio instituitur, tempe-
stivè præmoneatur ad coercendam impiorum insolentiam, impedi-
endumque ne in via, per quam proceditur, esculenta aut poculenta
vendantur, vel removendum alia, quæ devotionem veram im-
pediunt.

Plateæ omnes quas transitura est processio, mundentur, ipsæque
Ecclesiæ, & viarum parietes tapetibus, aulæis, frondibus, floribus,
gramine, sacris imaginibus, quæ ad fieri potest, decenter ornentur:
figuris

figuris quibuscumque vanis, Augustissimo speciebus panis velato hospite indignis, procul amotis.

Processio autem cum sanctissimo Sacramento non tam longi itineris circuitu institui debet, ne aut populi devotio languescat, aut compotationibus, aliisque indecoris factis occasio præbeatur; atque ita abbrevientur, ut omnis irreverentia tollatur occasio. Idcirco etiam in nuperis parochiarum ruralium visitationibus, ordinavimus ut ultra horæ unius spatium, SS. Sacramentum non circumferatur. Minime etiam probanda est consuetudo exponendi SS. Sacramentum in majoribus festivitatibus Sanctorum, & ferè festis omnibus, mos enim ille aduersatur cærimoniali Episcoporum, aliisque ritualibus. Attendendum enim est ne ob nimiam exponendi frequentiam cultus ei debitus & honor minuatur, quod ex frequentissima expositione evenit: dum sine sufficiente Clericorum numero, cantu, thurificatione, luminaribus sufficientibus &c. perfuntoriè exponitur. Ea de causa Illustrissimus D. Cardinalis *Nicolaus Cusanus* in hac Trevirensi Dioecesi oriundus, à seminarii Clericorum ac hospitalis fundatione clarus, in synodo Coloniæ habita statuit ut per annum, solummodo in octava SS. Sacramenti, & ultrà, unicâ tantummodo vice in processione circumferretur.

^{Anno 1451.}

PROCESSIO IN FESTO PURIFICAT. B. M. VIRG.

habetur supra, pag. 177.

PROCESSIO IN DIE CINERUM.

de qua dictum est supra, pag. 184.

EA fit absque vexillis, prælata solùm cruce in hasta, & fit circa templum, vel intra ambitum templi, sub de cantatione sequentis responsorii: eâque intra templum reversâ sacerdos ante sumnum altare in genua proolutus, canit Litanias de omnibus SS. quæ habentur supra in benedictione ignis sabbatho paschæ pag. 218.

Respons.